

Wiener Stadt- und
Landesbibliothek

6041 **B**

MA 9 - SD 25 - 24 - 828 - 128960 - 45

Wiener Stadt- und
Landesbibliothek

6041 B

MA 9 - SD 25 - 24 - 828 - 128960 - 45

1765

B6.044
Veronalia 1765

SINCERA GRATVLATIO ACADEMIAE VIENNENSIS
 OB
 FELICISSIMAS NVPTIAS
 IOSEPHI II.
 AVSTRIACI
 ET
 MARIAE-IOSEPHAE
 BAVARAE
 REGIS ET REGINAE ROMANORVM
 SVMMO VENERATIONIS AFFECTV OBLATA
 A
 SVARVM REGIARVM MAIESTATVM
 DEVOTISSIMA ET SUBIECTISSIMA VNIVERSITATE VINDOBONENSI
 PER EIVSDEM P. T. RECTOREM MAGNIFICVM
 IOANNEM MAXIMILIANVM IOSEPHVM DIETMANN.



VINDOBONÆ,
 TYPIS JOANNIS THOMÆ DE TRATTNERN,
 AULÆ TYPOGRAPHI.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT
530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE
CHICAGO, ILLINOIS 60607

RECEIVED

APR 15 1964

PHYSICS DEPARTMENT

530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE

CHICAGO, ILLINOIS 60607

RECEIVED

APR 15 1964

PHYSICS DEPARTMENT

530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE


CHICAGO, ILLINOIS 60607

RECEIVED

APR 15 1964

PHYSICS DEPARTMENT

530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE



Si quantum florentes laetis progressionibus artes liberales atque scientiae ad Regnorum felicitatem conferunt, tantundem ad scientiarum artiumque cultores e prospero Regnorum, in quibus sedem fixerunt, statu redit emolumentum: non est, quod miremini, AVGVSTI REGII CONIVGES! tantam esse Vindobonensis huius antiquissimae Vniuersitatis, quam coram throno VESTRO clementissime admisisse, de auspiciatissimo VESTRO Connubio laetitiam, vt eam explicare verbis cupiat magis, quam possit. Etenim quae felicitati tantae, quantam exoptatissimus hic VESTRO-
RVM cordium nexus non Austriae solum, ac Bauariae, sed Germaniae omni, totique adeo Romano Imperio praefagit, par oratio inueniatur?



Coniungit in VOBIS suprema rerum arbitra Prouidentia gentes duas, quibus vniuersa Germania nihil habet augustius: gentes non situ magis prouinciarum, quibus imperant, et cognatione sanguinis, quam virtutum, quibus omni tempore fulserunt, similitudine propinquas: gentes, quae in mediis nouarum opinionum Germaniam nostram dire perturbantium tumultibus ab auita orthodoxa religione nunquam desciuerunt: gentes, quarum prouidentiae, authoritati, munifico patrocinio conseruatum apud se, iisque, quibus hodie gloriamur, laetissimis incrementis auctum regnum scientiarum potissimum Germania debet. Coniungit IOSEPHAM Caesaris Filiam ac Neptem IOSEPHO, Filio ac Nepoti Augustissimorum longa serie Caesarum. Et, quod rei caput est, quodque non ad VESTRAM minus, AVGVSTI REGII CONIVGES! quam ad totius Imperii felicitatem cum primis facit, coniungit virtutibus etiam Regiis, atque ornamentis animi pares.

Quid coniungere felicius omnis, quam late patet, Europa potuit? aut quam potuerunt nobis hoc tempore Superi offerre laetandi causam illustriorem? quod enim vnquam connubium vel melioribus auspiciis, vel inter tantos coaluit? aut quod magis consentiente cum totius populi votis ipsius Coeli suffragio est celebratum?

Itaque exultat incredibili laetitia omnis Austria, omnisque Bauaria, et, qua suas voluit undas Ister, plausus et gratulatio, et festae omnium aetatum, atque ordinum, vitam, felicitatem, augustam sobolem precantium acclamationes exaudiuntur. Neque immerito; nam in TE quidem, REX AVGVSTE! si conuertamus oculos, et vel illa so-
lum,



lum, quae in TE liberali manu natura congeffit, decora contemplemur, qui nobis populi TE Principem non inuideant? aut quid nos a TE postulemus impensius, nisi viuas TVI imagines, in quibus etiam feri olim posterius haec TVA decora cum sanguine transfusa legant? Quae Maestas Regiae frontis? quae oris dignitas? quae Maestati nihil officiens affabilitas? quae deinde sermonis comitas? quae gratia? quis a TE vnquam abcessit maestus? quis vel repulsam passus benigne se a TE habitum non est professus? Norunt hoc, et meritis laudibus celebrant ii, quibus ad thronum TVVM patet aditus (cui autem pro ea, qua es in omnes, humanitate non patet?) Nouit et stupuit superiore anno congregata in Comitibus Imperii Germania: nouimus nos ipsi, quos ad conspectum TVVM iam iterum ac tertio ea facilitate admittis, vt, quam benignum Patrem in TE olim habiturae sint Musae, iam nunc non obscure intelligamus.

Verum haec non nisi indicia quaedam sunt, et velut locatae prae foribus excubiae virtutum illarum, quae in Regio animo Tuo sedem sibi delegere.

Non attingam hoc iterum loco aut Regiam illam TVAM, qua Vindobonensem hanc Vniuersitatem prosequeris, clementiam, aut eum, quo scientias, et artes non minus nunc protegis ac promoues, quam olim colueris, amorem. Quantus hic sit, verbo satis demonstrauero, si Augustos Parentes Tvos FRANCISCVM et MARIAM THERESIAM nominaro. Illas ego virtutes loquor, ad quarum arduum apicem scientiae viam docent, et adminicula praebent. Virtutes illas, quas Europa omnis in TE suspicit: quas Romanum Imperium Corona Regia



dignas censuit : quae TE ad illud folium euexerunt , quo altius , post Caesareum quidem thronum , neque mereri virtus , neque fortuna largiri potest. Pietatem illam christiano Principe cumprimis dignam , qua TE Regi Regum subiicis , eumque TIBI propitium reddis. Studium illud aequitatis , a cuius recto tramite nihil est , quod TE vel latum vnguem dimoueat. Illud inuictum animi robur , quod mentem TVAM quouis humano casu maiorem dudum effecit. Illam in capiendo consilio animi futura longe prospicientis sagacitatem. Constantiam illam in perducendis ad finem iis , quae cum animo TVO decreueris. Illud denique , in quo Maximorum Parentum TVORVM vestigia solertissime premis , tam ardens omnibus benefaciendi desiderium , quo fit , vt alienis calamitatibus non aliter , atque si ad TE ipsum pertinerent , commouearis , ac miserrimo cuique ad impetrandam a TE opem id vnum sufficiat , si TE suae , qua cruciatur , miseriae conscium reddere possit. Ac natura quidem ipsa iam TE peculiari artificio ad hanc virtutem finxit , quando TIBI cor mite adeo ac vniuersi hominum generis mire amans indidit : TV vero istud in TE a natura inchoatum decus ita sedulo perfecisti , vt iam suos Romae Titos , totius humanae reipublicae delicias , minus inuideamus.

Quo accedit illud , quod hunc tam splendidum virtutum animo Regio dignarum comitatum ita TIBI reddidisti proprium ac plane familiarem , vt exemplo TVO ad amorem virtutis omnes prouoces , ac solis in morem sic splendeas , vt etiam in eorum , qui TE contemplantur , pectoribus parem lucem accendas. Tantus cum sis , non erat quidem , quod in praesens tempus precaretur Super-



ros Austria, nisi ut TE nobis in annos longe plurimos sospitem seruent, atque hoc pacto felicitatem nobis nostram quam maxime diuturnam esse iubeant, velint. Sed nempe venturam olim aetatem, ferosque posteros quoties animo voluimus, non deerat sane, quod optaremus, quoque TV nobis, libere dicam, de salute populorum, qui deinde victuri sunt, haud satis sollicitus viderere. Illud nimirum in votis erat, ut eam, qua perfruimur, felicitatem propinquiore Filiorum ac Nepotum Augustorum in patrias et auitas virtutes iturorum spe nobis affirmatam quamprimum intelligeremus. Et vide quaeso, AVGVSTE REX! an ardentia magis, quam aequa fuerint totius populi vota? Iam tum, cum MAIESTATEM TVAM ab Imperii Comitibus reducem effusa in plausus Vienna exciperet, hoc vno spem suam a TE delusam quæstæ est, quod non simul cum Corona Regia hoc etiam felicitatis nostræ ad seram usque nepotum aetatem continuandæ pretiosissimum pignus TECVM adduxisti.

At nunc denique, o quam feliciter! quam plene! subscripsisti votis nostris, quando cum ea in manus conuenisti Principe, cuius virtutes et ornamenta Regia cum nobis dudum ante referret fama, non alio vel breuiore potuit, vel nobis dulciore complecti testimonio, atque quod TE dignam, TVIQUE quam simillimam prædicauit. Quod si celebrandæ dicendo forent egregiæ ac raræ illæ dotes, quibus TE AVGVSTA ROMANORVM REGINA! pene ad prodigium ornatam hætenus famæ credidimus, hodie nostris ipsi oculis intuemur, quæ facundia non succumberet? quod eloquentiæ flumen non exhauriretur? Afueta dudum et nobis dare Augustas, et ex hac Augusta



Aula Serenissimis Principibus Suis Sponfas petere Bauaria quantum de Romano Imperio, quantum de Austria nostra, quantum de hac ipsa Vrbe merita olim fuerit, neminem omnium latet. Huic maximorum exercituum fortes non minus, quam felices Imperatores, huic submissas toties aduersus Christiani nominis hostem auxiliares copias, huic Duces strenuos, huic impavidos milites, huic excussum non a nostris modo ceruicibus, verum etiam ab adfito amplissimo Hungariae Regno iugum Turcicum magnam partem debemus. Aetas certe nulla aut e sacris Germaniae annalibus, aut e grata Austriaci populi memoria eradet MAXIMILIANVM illum pietate dubites, an armorum gloria magis illustrem, qui FERDINANDI Secundi Caesaris copias ducens, quem gentilitio scuto praefererat, LEONEM BOICVM ita se Austriae atque auitae Catholicae pietatis hostibus probauit, vt decretorio ad Pragam praelio et rem Catholicam pene iam collapsam restituerit, et genti suae splendidissimum Electoris Imperii titulum primus intulerit. Sed neque tacebit vnquam Austria vel MARIAM CAROLI Archiducis, vel MARIAM ANNAM eiusdem FERDINANDI sanctissimi aequae ac gloriosissimi Imperatoris lectissimas Coniuges, quarum et pietatem et foecunditatem Augustam experta fuit sibi tam salutarem.

De TVIS vero, REGINA AVGVSTA! laudibus, quae ante multo, quam sacrum istud connubii vinculum TE nobis Matrem dedisset, omnium vocibus ad nos perlatae Viennam omnem TVI amore succenderunt, qui vnquam conticescent posteris? aut ad quos magnitudo laetitiae, quam TVVS aduentus attulit, non pertinebit? Ac nos qui-



quidem eas dicendo persequi neque vires nostrae, neque illa, quam TVAE modestiae debemus, obseruantia finit. At non deerunt profecto, qui eas tanto disertius praedicabunt, quanto diutius ipsis licuerit diffusos a tam propitio Sidere, quod nos hodie veluti suo in exortu veneramur, virtutum pulcherrimarum radios contemplari. Nobis id vnum superest, vt REGIAE MAIESTATI TVAE, in qua felicitate rara et ante MARIAM THERESIAM Augustam haud facile cuiquam e Coelo collata, et Filiam Caesaris et Caesareo throno iam destinati Regis Coniugem suspicimus, Filios quoque ac Nepotes olim eidem praefuturos Imperio precemur.

Haec summa votorum nostrorum. Quibus si subscribant Superi, vti certe subscripturos confidimus, erit, cur se ad vltimam vsque terrarum orbis aetatem beatissimam praedicet Austria, erit, cur nos, qui eosdem cum Austria vniuersa Augustos Patriae Parentes quouis tempore habituri sumus, perpetuam nobis polliceamur eam benignitatem, gratiam, clementiam, quam a VOBIS hodie supplices poscimus.

REGIIS MAIESTATIBVS VESTRIS

Aeternum Deuoti

IOANNES MAXIMILIANVS IOSEPHVS DIETMANN, Rector
& antiquissima Vniuersitas Viennensis.

1863

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Second block of faint, illegible text, also appearing to be bleed-through.

RECEIVED OF THE TREASURY DEPARTMENT

THE UNITED STATES OF AMERICA
DEPARTMENT OF THE TREASURY
WASHINGTON, D. C.

